

oe

IOANNES I. REX X. LVSITANIAE



Non minor est virtus, quam quærerere parta tueri;  
 Ergo par cunctis, laudibus, unus ero.

historia... non poterat... regni in...  
 regum fundamentalium Regni in generalibus comitiis  
 I. ameci.



## §. III.

*Lusitaniæ Corona defenditur.*

*Castellani volunt occupare Lusitaniam, ex jure Beatricis filia Regis Ferd.*

**F**ERDINANDUS legitimus Lusitaniæ Rex 9, (ut <sup>1</sup> in n. fin. precedentis §.) defunctus ann. Chr. 1383. unicam reliquit filiam Beatricem nuptam Joanni primo Castellæ Regi; qui uxoris occasione voluit Regnum occupare.

*Renuunt Lusitani merito.*

Renuerunt Lusitani ex tribus rationibus. Prima, <sup>2</sup> quòd Beatrix erat Regis filia illegitima, ex Eleonorâ Telles de Meneses, cum quâ ipse tantum de facto matrimonium contraxerat, invalidum tam quod Eleonora maritum habebat Joannem Laurentium de Cunha, qui violentiam Regis fugiebat in Castellâ, superstes adhuc tempore genitæ Beatricis, quàm quòd, quamvis (ut Rex fingebat) matrimonium Joannis cum Eleonorâ fuisset nullum ob consanguinitatem (de quâ verè dispensatio Pontificis intervenerat,) simili vitio laborabat connubium ipsius Regis propter cognationem ejusdem cum prædicto Joanne (quippe uterque agnoscebat tertium avum Regem Alphonsum 3;) quæ producebat impedimentum affinitatis in gradu prohibito, *cap. non debet de cons. & affin.* hæc omnia tunc erant notoria, & nunc constant ex omnibus historiis utriusque Regni. Secunda, quia (etiam si legitima foret) non poterat succedere in Coronâ habens Castellanum, non Lusitanum virum; juxtà dispositionem legum fundamentalium Regni in generalibus comitiis

Lameci,